Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit expositio de natura rerum. I.

Operatio divina que secula creavit et gubernat quadriformi ratione distinguitur. Primo quod hec in verbo dei dispensatione non facta, sed eterna sunt. quem nos apostolo teste ante tempora secularia predestinavit in regnum. Secundo quod in materia informi pariter elementa mundi facta sunt. ubi qui vivit in eternum creavit omnia simul. Tercio quod eadem materies secundum causas simul creatas non iam simul, sed distinctione sex primorum dierum in celestem terrestremque creaturam formatur. Quarto quod ex eisdem creature seminibus et primordialibus causis toci seculi tempus naturali cursu peragitur. ubi pater usque nunc operatur et filius. ubi etiam corvos pascit et lilia vestit.

In ipso quidem principio

De mundi formatione. II.

Itit ds. conditionis facta sunt. celum et terra. angeli aer et aqua de nichilo. Die vero prima lux facta est et ipsa de nichilo. Secundo firmamentum in medio aquarum. Tercio species maris et terre. cum eis que terre radicitus inherent. Quarto luminaria celi. de lumine primo die facto. Quinto natatilia et volatilia de aquis. Sexto reliqua animalia de terra et homo. carne quidem de terra. anima vero de nichilo creatus. qui in paradyso quem dominus a principio plantaverat constituitur. Septimo dominus requievit. non a creature gubernatione. cum in ipso vivamus et moveamur et simus. sed a nova substantie creatione.

Quid sit mundus. III.

Mundus est universitas omnis. que constat ex celo et terra. quattuor elementis in speciem orbis absoluti globata. igne quo sydera lucent. aere quo cuncta viventia spirant. aquis que terram cingendo et penetrando communiunt. atque ipsa terra que mundi media atque ima librata volumine circa eam universitate pendet immobilis. Verum mundi nomine etiam celum a perfecta absolutaque elegantia vocatur. Nam et apud grecos ab ornatu cosmos appellatur.

De elementis. IIII.

Elementa sibi innexa. sic natura. sic etiam situ differunt. Terra enim ut gravissima. et que ab alia natura sufferri non possit. imum in creaturis optinet locum. Aqua vero quanto levior terra. tanto est aere gravior. Qui si forte aquis in vase aliquo subdatur. statim ad superiora ut levior evadit. Ignis quoque materialiter accensus. continuo naturalem sui sedem super aera querit. sed ne illuc perveniat. in mol